

gulo FDE. Æquatur verò etiam latus A C quod utriq; dictorum angulorum in Triangulo A B C interjacet, lateri D F, quod itidem utriq; æqualium angulorum in Triangulo D E F interjacet. Ergò & reliquæ partes Trianguli A B C reliquis partibus Trianguli D E F æquabuntur: hoc est, Angulus A B C æquabitur angulo D E F ob opposita latera æqualia: A B etiam æquabitur lateri D E, quia anguli oppositi sunt æquales: latus deniq; C B æquabitur lateri F E eandem ob causam.

Idem concluderetur, si præter Angulos A C B & C A B angulus D F E & F D E æquales A B latus, quod uni æqualium angulorum opponitur, æquale ponatur lateri D E, quod alteri angulo æquali subtenditur, &c.

III. Triangula super eâdem vel æquali basi, & inter easdem parallelas constituta seu æquèalta, sunt æqualia: Æquèalta autem Triangula supra diversas bases inæqualia sunt.

Duo Triangula A B C & A B E, quorum basis A B communis est, quæq; inter easdem parallelas C I & A K constituta sunt, seu quæ sunt æquèalta (quod inde cognoscimus, quòd perpendiculum C D à vertice C illius ad basin A B ductum æquatur E G Perpendiculo hujus à vertice E ad basin continuatam descendenti) dico etiam æqualia esse. Alibi *in Geodæticis* suo tempore docebitur, quod jam instar principij assumo, Tironum causâ, *Rationem Triangulorum esse compositam ex ratione basium ad altitudines.* Quia itaq; in Triangulis A B C & A B E basis A B eadem est, altitudoq; illius C D, altitudini hujus E G æqualis, utut latera varient & anguli, erunt ipsa Triangula invicem